

euleo prorsus labore aggressus est. Immenso autem illi pelago ut sese commisit, ibi verò ( ut circa cæteros Planetas plusquam credi ab inexperto queat, subinde sese ingerentes difficultates & remoras omittam, quorum Apogæis, Eccentricitatibus, simplici motui, orbium deniq; & circuituum proportionibus quam rectissimè consulendi, vno eodemque tempore mira ipsum cupido incefferat ) solius Lunæ, difficulter quo ad limborum extremitates obseruabilis intricatissimum curriculum illum per integrum & amplius nouennium exercuit, vsque dum post varios & indefessos labores, talem, qualem anno superiore Cæsareæ Maiestatis auspiciis emisimus, ejus, tum quoque Solis & Inerrantium restitutionem absolueret, nobisque posthuma relinqueret. Vbi non solum aliam quandam secundum Longitudinem inæqualitatem, quam ab antecessoribus animaduersum, videre licet: sed & longè diuersos Latitudinis maximæ limites quam à Ptolomæo & ipsum secutis Astronomis præfinitum: quam & ipsam inæqualiter ad differentiam trientis vnus Gradus mutari deprehendit, nodis etiam, vbi Eclipticam eius orbita transit, singulis reuolutionibus euidenti admodum discrimine hinc inde nutantibus

Cæterum cum hæc disquisitio alterius sit loci, ut eò vnde digressus sum redeam, dum his & similibus omnem ætatē socer Braheus triuisset, interim omnem de Cometis (cujus specimen majori ex parte jam prælis Vraniburgi absolutum erat) cogitationem seposuit. Ad extremum autem, cum se solum omnibus illis laboribus Atlanticis ferendis præ Politicis curis & senio appropinquante imparem sensisset,

set,